

ANNOTATA

“ autem *παραγγεῖν* sumptu Ecclesiarum, ut fieri solebat.

“ V. 6. Ἡ μὲν ἐγὼ καὶ Βαρνάβας.

“ Barnabas Pauli diu comes multum ab exemplo ipsius traxerat.

An hic de uxore sermo nomine fororis circumducenda?

Ut ex ordine certo non potest *præeminentia* Petri, nedum *principatus* in reliquos Apostolos cum Papistis concludi, quod vel è *Gal. II. 9.* patet; ita rectè ab illis discedit Grotius, qui hic per *ἡλικία* matronam solum *inservientem*, non verò uxorem intelligant. Quo de vid. *Bellarmin. l. 1. de Cleric. c. 20. Gregor. de Valent. l. 2. de cœlib. cap. 6. Salmero, Justinianus, Tirinus, Corn. à Lapiæ* in hunc locum. Exemplum Christi, quod ipsi allegant, *ἀδελφῶν* est. Non enim ipse circumduxit foeminas, sed ipsæ secutæ eum, pietatis & religionis causa sunt, allecæ doctrinæ efficaciam & miraculorum præstantiam. Quæ à *munificentiam* celebrantur, quod huic mulieri, cujus circumducendæ potestatem habuit Apostolus, non convenit. De eâ ergo muliere sermo est, quam primò alere una cum Apostolo debuissent Ecclesiæ, ministerio ejus fidentes. Secundo circumducere pro lubitu suo potuisset Apostolus, idque tertio sine scandalo, & quarto exemplo Petri, & fratrum Christi, adde quinto quam quisque non nisi unicam circumducendi *ἐξουσία* habuit; servitii autem causa plures uni præsto esse potuissent. Nec ad servitium muliere opus fuisset, cum id à personis sui sexus, & commodius, & citra scandalum, ac obrectationis materiâ præstari potuerit. Nam à *specie* etiam *mali abstinendum* esse docet Apostolus *1. Thes. VI. 22. Nisi illæ uxores fuissent*, inquit Andr. Dudithius Episcopus Quinquæ Ecclesiensis in Demonstratione pro Conjugio Clericorum *suspicio oriri potuisset, scorta ab Apostolis circumduci, quod summo studio illos cavisse, verisimile est, ne per ipsorum vitam Evangelii, quod docebant, auctoritas convitiis & criminationibus vulneraretur. Docebat autem Apostolorum domum & familiam, atq; universam societatem non crimine solum, sed criminis suspitione vacare.* Porro de tali muliere sermo est, quam potestatem quidem circumducendi habuerit Apostolus; sed non circumduxerit. At piarum mulierum honestam conversationem, & ministeria non averfatus est Apostolus

Act.